

rant circa alia Sacramenta, vel circa alios articulos, tunc sup-  
plenda sunt tantum ommissa circa caeremonias.

77 Insuper eodem modo, quo infideles debent de peccatis  
suis poenitentiam agere, ita et Haeretici de erroribus suis, quos  
si non detestati fuerint ante Baptismum, in eodem Baptismo  
non obtinent gratiam, sed tantum characterem, dummodo ac-  
cedant cum debita intentione suscipiendi Baptismum: Sanctus  
quippe Augustinus *lib. de Bapt. cap. 14.* ait: Nec interest cum  
de Sacramenti integritate tractatur quid credat, et quali fide  
imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: interest quidem plu-  
rimum ad salutis viam; sed ad Sacramenti quaestionem nihil  
interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramen-  
tum, sed perversam fidem.

78 Episcopi tamen, juxta sensum Textus praesentis, pos-  
sunt dispensare a supplemento omissarum caeremoniarum, jus-  
tis de causis animum illorum moventibus, ne forte oriantur  
inutiles disputationes de validitate, seu de necessitate earum-  
dem caeremoniarum, praecipue in civitatibus, in quibus inha-  
bitent multi Haeretici. Certe enim Baptismus sine caeremoniis  
valet:

§. XVII. Caeterum legantur, et serventur ea, quae su-  
pra de Baptismo in communi praescripta sunt.

Nempe quae de materia, forma, ministro, Patrinis, tempore,  
loco, et aliis ad Baptismum necessariis praescripta sunt in hoc  
Rituale, quae omitti non debent, et communia sunt tum Par-  
vulis, tum Adultis, et Catechumenis in Baptismo administran-  
do, et suscipiendo.

## ORDO BAPTISMI

ADULTORUM.

### TITULUS DECIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Baptizare convenit Sacerdoti ex Officio.
- 2 Quae parata sunt pro Baptismo puerorum, debent esse parata etiam pro Bap-  
tismo Adultorum.
- 3 Pluviale est vestis solemnis Ecclesiastica.
- 4 Pluviale unde dictum?
- 5 Pabinitus color quinam?
- 6 Clerici multi adhibendi in solemni Baptismo Adultorum.
- 7 Preces in baptismo faciendae sunt aperto capite.
- 8 Crucis signum est armatura fidei.
- 9 Preces ante Baptismum Adultorum possunt omitti.
- 10 Psalmorum 8. 28. 41. significatio.
- 11 Electi cur dicantur qui baptizantur Adulti?
- 12 Competentes vocabantur Catechumeni electi.
- 13 Electi ultimum gradum habent inter baptizandos.
- 14 Scrutinium olim fiebat circa electos.
- 15 Catechismus praecedere debet Baptismo.
- 16 Catechesis facienda est ad fores Ecclesiae.
- 17 Constitutio Benedicti XIII. super hoc.
- 18 Masculi, et Foeminae invicem separandi ante Baptismum.
- 19 Masculi ad dexteram collocandi sunt.
- 20 Nomen novum imponitur Catechumenis.
- 21 Catechumeni non semper tenentur mutare nomen.
- 22 Judae nomen male sonat apud fideles.
- 23 Nomina impiorum antecessorum non debent tolerari.
- 24 Nominis dandi in Baptismo mos antiquissimus.
- 25 Ex nominis mutationis vitae mutandae argumentum desumitur.
- 26 Abrenuntiationes Catechumenorum similes illis Infantium.
- 27 Symboli compendium recitatur a Catechumeno.
- 28 Insufflatio in Catechum. sit graviter.
- 29 Halitus sit quia Spiritum Sanctum designat.
- 30 Verba quae mutantur juxta qualitatem Sanctae Adulti baptizandi.
- 31 Errores diversorum Infidelium enumerantur.
- 32 Haeretici ante Baptismum examinandi.
- 33 Magister Caeremoniarum debet esse informatus de errore Catechumeni.
- 34 Secta exprimeuda est proprio nomine.

cum sit paramentum omnibus Ecclesiasticis commune, nec ad Sacrificium Altaris ordinatum, Macr. *Hierolea. Cappa*; sed tantum ad modum viatorii superindumenti. In nostro casu est violacei coloris, eo quia iste color est poenitentiae, afflictionis, moeroris, et luctus, Corsett. *Ind. Rational.*

5 Alio modo hic color nuncupatur *Pabinitus*, seu italice *Pavonazzo* a Pabo, Pabonis, qui est Pavo, Pavonis, Nonnullas veteres tabulas legi extractas ab Archivo Ecclesiae Tremularum, mihi transmissas ab Illust. D. Dominico Catelani, olim illius Civitatis Episcopo. Amico, et Domino meo peculiari, ab eo usque tempore, quo Vicarii Generalis munere decorabatur hic Ferrariae sub cl. m. Card. de Verme Episcopi. In his Tabulis erant inscripta haec verba *Pabiniti coloris*, quae pro violaceo, seu *Pavonazzo* per me interpretata fuere.

6 Ratio solemnitatis postulat, ut cum primario Baptizante ministro adsint multi Clerici: si enim in Baptismo privato, saltem unus a Rituali praescribitur Clericus, in publico, etsolemni multi erunt adhibendi, et praecipue illi qui tali Ecclesiae adscripti fuerint juxta constitutionem novissimam Benedicti XIII. in *Conc. Rom. tit. 6. cap. 2.* ubi nota illa verba: *Festis diebus singulis, praesertim solemnioribus, ne absint.*

7 8 Initium hujus operis est, ut Sacerdos surgat, et se signet. In Baptismo Adulorum requiritur gratia Divina specialiter ad movenda eorum corda: quod non requiritur in Baptismo Parvulorum: ideo preces effundendae sunt ad impetrandum Divinum auxilium, quae praeces capite aperto faciendae sunt, juxta monitum Apostoli. *1. Cor. 11. Vir quidem non debet velare caput suum.* Post quas preces sequitur signum Crucis, quae est Armatura Fidei. Corsett. *Ind. rat.* Insuper stando recitantur Psalmi, quia post preces censetur Anima justificata; et stare in Oratione, justorum est: genua flectere, peccatorum, Justin. Martyr. *qu. 115. ex Gavant. p. 2. t. 5. l. 3.*

9 Sed istae preces non tam rigore praecipuntur, ut omitti nequeant: unde Textus rationem temporis admittit si aliter ferat, nempe quando v. grat. numerus Baptizandorum exigat longum tempus, vel quando Ecclesiasticae functiones protrahantur diu.

10 Tres Psalmi praescripti optime faciunt ad rem, quae pertractanda est in ista functione: et Ecclesia illos statuit recitandos ad hunc finem. Primus enim, nempe *Domine Deus noster, etc.* juxta interpretationem Incogniti, seu Ayguani in *Ps. 8.* monstrat intentionem Psalmistae fuisse, errorem Judaeorum aperire, qui dicebant Deum notum esse tantum in Judaea, et Donatistarum qui dicunt tantum in Africa veram Ecclesiam esse.

Secundus *Psal. Afferte Domino, etc.* eodem Interprete, *Psam. 28.* invitat omnes nationes, ut immolent Victimam, et Holocaus-

ta Deo cum laudibus in Tabernaculo suo. Tertius tandem, nempe *Quemadmodum desiderat Cervus*, qui est *Psalm. 41.* Secundum interpretationem dicti Incogniti ostendit mystice anxietatem fidelis Populi desiderantis liberari a captivitate.

§. II. Si plures fuerint baptizandi, haec tertia Oratio dicatur in numero plurali. *Da quaesumus, Domine, electo nostro, etc.*

Vox mutanda cadit in illo *Electo nostro*; et secum concordare debent verba quae in Oratione sequuntur, et regunt nomen illud.

11 12 Quid significet *Electus*, in hoc solemnibus Baptismo modo dicendum est, cum nondum explicata fuerit in toto hoc opere haec vox, sed tantummodo per aequipollentem *Adultus, Catechumenus*: Adulti baptizandi, multipliciter nuncupantur ab Ecclesia: aliquando dicuntur *Catechumeni*, aliquando *Competentes*, aliquando *Electi*. De Catechumenis jam dictum fuit in antecedenti *Titulo*, §. 5. de Competentibus modo dicam cum Ricciull. *d. l. 3. c. 1. n. 2.* Competentes, ut docet Isidorus *l. 2. de Orig. c. 21.* dicebantur, qui jam per doctrinam Fidei, ad gratiam Christi percipiendam festinabant; ideoque appellabantur competentes, idest Gratiam Christi simul petentes, unde apparet, quod istud nomen applicari non potest uni baptizando tantum, sed pluribus. In quo differant a Catechumenis: Vide Ricciull. *d. l. n. 3.*

13 14 *Electi* vero ultimum gradum occupabant inter illos, qui baptizandi erant, et differebant a Catechumenis, et competentibus, quoniam electi non dicebantur nisi eo die, quo baptizabantur, ut scripsit Siricius PP. *Ep. 1. ad Himerion. Tarracon. c. 2.* Item ex *Ordine Romano* habetur, quod die Sabbati Sancti quo baptizabantur, Electorum nomina ita nuncupabantur, *Orate Electi*. Origo horum Electorum pendebat ex scrutiniis, eo quod in eis de fide, et moribus inquiretetur, Rupert. Abb. *de div. Off. c. 18. Casal. d. c. 5.* Et ista scrutinia omnibus baptizari volentibus erant necessaria, Strab. *de Reb. Eccl. c. 26.* Illi igitur qui approbantur digni, ut ad Baptismum accederent, vocabantur *Electi*: et hoc nomine utitur Ecclesia in Baptismo Adulorum, promiscue cum nomine Catechumeni, quia cessavit scrutinium antedictum tunc, quando pene totus Orbis ad fidem conversus est, et Catechumeni non adeo frequentes, et numerosi facti sunt.

§. III. Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiae, et stat in limine: catechizandus vero extra limen: Et si sunt plures, mares, et foeminae, illi ad dexteram Sacerdotis, hae vero ad sinistram statuuntur, et Sacerdos interrogat: *Quo nomine vocaris?* Catechumenus respondet, N. etc.

15 Modo ad Catechesim faciendam accedit Sacerdos super Catechumenum: convenienter enim Catechismus debet praecedere Baptismum. Ita docemur *ex tex. in c. ante baptism. de consecr. dist. 4.* et docet D. Thomas, et alii apud Ricciul. *d. l. 3. c. 2. n. 1.* et ratio est, quia per Baptismum contrahitur obligatio ad servanda omnia quae sunt fidei, *c. 3. §. inter caetera, de bapt. c. de Judais 45.* Obligatio autem contrahi non debet nisi praecedat ejus scientia, *l. de his, ff. de transact.* talis autem scientia haberi non potest nisi per instructionem, et catechismum: ergo necesse est, quod Catechismus praecedat Baptismum.

16 17 Quare vero minister procedat ad fores Ecclesiae, est, quia Infidelis, seu non baptizatus, est extra fores Ecclesiae, adeoque illam ingredi non debet, donec dignus fiat per Baptismum. At illum igitur suscipiendum debet Sacerdos accedere ad fores Ecclesiae, sed non excedere limen, quia tunc spectat ad Baptizandum accedere ad Sacerdotem, sed non transilire limites praefixos, ut sic demonstret humilem, et promptam voluntatem suam ad Baptismum postulandum. Praeceptum hoc novissima Constitutione restauratum fuit nuper a SS. Benedicto XIII. feliciter regnante in Concilio Romano, *tit. 26. c. 3.* his verbis: *Quia Baptismus janua est Sacramentorum, et Porta per quam in Christi Ecclesiam intramus, sciant Parochi, non nude a Romano Rituali praescribi, ut Baptizandorum Catechismus ad Ecclesiae januam, his cum Patrinis extra existentibus, peragatur. Ipsi itaque districte praecipimus, ut ritum omnino servent eundem, nec unquam committant, ut contrarius ultra procedat abusus.* Et de Catechumenis, non vero de Infantibus intelligendam esse hanc constitutionem satis patet ex antecedenti constitutione secunda, quae est de Catechumenis non ante, sed post Baptismum veste candida induendis.

18 19 *Illi ad dexteram etc.* Antiquissimus mos iste est separandi Masculos a Foeminis, et prius illos baptizandi, postea vero alias, Ordo Rom. *c. de Sabbato Sancto, Albin. de div. Off. cap. eodem,* et congruentia maxima in hoc servatur; nam partem digniorem occupare debet nobilior sexus, et praemi-  
nentiam habere etiam in rebus Sacris supra ignobiliorem.

20 His ita dispositis, et locatis, de novo nomine Catechumeni quaerendum est a Sacerdote, non de antiquo, ideoque ad

Interrogationem: *Quo nomine vocaris?* Respondere debet Catechumenus juxta impositionem novi nominis sibi faciendam, nam ex prisca nominis retentione arguitur retentio affectus. *Aym. cons. 73. num. 13. et seqq. l. a nullo. in fine, ff. de ser.*

21 22 23 Non semper tamen tenetur Catechumenus sibi mutare nomen, unde Ricciull. *d. l. 2. c. 4. 5.* duos distinguit casus. Primus, tunc quando nomen est in utraque Religione commune; secundus, quando est proprium tantummodo Hebraeorum, et sic quoruncumque Infidelium. Quoad primum, permitti potest, ut retineatur; nam etiam per Christianos venerantur illi Sancti qui tali nomini subjectum praestiterunt: V. g. *Joseph, Daniel, Zacharias, Angelus, Jacob, Maria, Anna;* non autem Judas (quia male sonat apud Fideles tale nomen, quambis Judas Thaddaeus inter Sanctos Apostolos adnumeretur.) Quoad secundum, tolerari non debet, ut quis, v. g. nuncupetur *Cain, Pharao, Aman, Dalida, Venus, Jupiter, Macometus, etc.* quia apud Infideles tantum ista nomina usu veniunt, et non sunt nomina Justorum, seu saltem fidelium.

24 25 Mos iste dandi nomina in Baptismo antiquissimus est. Clemens PP. 1. *ep. 3. ad. Episcopos,* ait, *Si quis fidelis voluerit existere, et desideret baptizari, accedat ad Sacerdotem suum, et ipsi det nomen suum, et ab eo audiat mysteria, etc.* et ratio est: ut Catechumeni ex nominis mutatione, vitae commutandae argumenta desumerent. *Casal. d. ib.* Aliqui sumebant nomina Apostolorum, quando Apostoli baptizabant, in venerationem ministrorum: unde in Synodo Nicaena *Can. 30.* Gentilium nomina filiis imponere fuit vetitum, quod et a S. Chrysostomo significatum fuit, *Homil. 22. in. cap. 4. epist. 1 ad, Corinth.*

§. IV. Et rursus interrogat, N. Abrenuntias Satanae?

26 Similes Abrenuntiationes fiunt in Baptismo Parvulorum, ad quas lectores meos remitto.

§. V. Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo fidei, etc.

27 Non totum hic recitatur Symbolum, sed illius compendium solummodo et substantia ut in titulo *de Baptismo infantium.*

- 35 Exorcismi fieri debent super singulis.
- 36 Oratio universalis pro Catechumenis.
- 37 Quare Crux imprimatur in toto corpore Catechumeni?
- 38 Infantes lavant solummodo Peccatum Originale.
- 39 Adulti multa peccata habent purganda.
- 40 Crux sine tactu facienda super Adultis.
- 41 Salis benedictio pro Catechumeno Idolatra.
- 42 Signa humilitatis danda a Catechumeno.
- 43 Genuflectere proprium peccatoris est.
- 44 Catechumenus an flecti debeat utroque genu?
- 45 Amen quid significet. et an sit complementum orationis?
- 46 Oratio Dominicalis recitatur a Catechumenis alta voce.
- 47 Patrinus signat frontem Catechumeni.
- 48 Ministrans Baptismum signat quoque Catechumenum.
- 49 Exorcismi repetiti vim augent in Catechumeno.
- 50 Foeminae Catechumenae exorcizantur simul cum Masculis.
- 51 Manus Catechumeni cur apprehenditur a Baptizante?
- 52 Stola porrigenda Catechumeno.
- 53 A sinistra parte porrigenda est manus, et stola.
- 54 Prosternere se, et procumbere est poenitentis.
- 55 Adorare quid significet circa Catechumenum?
- 56 Symbolum, et Orationem Dominicalem memoriter tenebant Catechum.
- 57 Et si memoriter ea non tenebant, non baptizabantur.
- 58 Catechumeni nudis pedibus accedebant ad Baptismum.
- 59 Peccatum aliquod particulare potest esse in singulis Catechumenis.
- 60 Exorcismi non finiuntur more aliarum Orationum.
- 61 Daemones valde pertimescunt Dei Judicium.
- 62 *Ephpheta, Ephatah.* Effata diversimode scribitur.
- 63 Electi nomen saepe repetendum, ut videatur an persistat.
- 64 Interrogationes de nomine et de postulatione repetendae.
- 65 Catechumeni stare debent aperto capite.
- 66 Coma ficta, seu Perucha deponenda est a Catechumeno.
- 67 Ornamenta vana ab eodem deponenda.
- 68 Vestes Catechumenorum debent esse laxatae a collo.
- 69 Mulieres Catechumenae sine ornatu esse debent.
- 70 Catechumenus debet stare prona facie supra fontem.
- 71 Chrismale quid sit?
- 72 Linteolum quo tegitur frons Baptizandi.
- 73 Vestis candida imponenda Catechumeno.
- 74 Decretum de hac veste habitum in Concilio Romano.
- 75 Praebenda est a Sacerdote.
- 76 Vestes priores deponendae omnino a Neophyto.
- 77 Pallium non est Vestis.
- 78 Foeminis in hoc casu indulgendum ob modestiam.
- 79 Foeminae non fucatae accedere debent ad Baptismum.
- 80 Adulti tenent candelam manibus propriis.
- 81 Neophytus quid significet?
- 82 Neophyti non dicuntur qui a multo tempore susceperunt Bapt.
- 83 Candela debet reponi in actu Confirmationis.
- 84 Immersionis Ritus.
- 85 Cum magno incommodo ministratur in Adultis.
- 86 Corpus totum Adulti tergi debet post Immersionem.
- 87 Adulti baptizati per Immersionem indui, et expoliari debent in loco remoto a Baptisterio.
- 88 Cereus praestandus est expensis Adulti seu Domus Catechumenorum.
- 89 Pariter Linteolum.
- 90 Salutatio ultima danda Neophytis.
- 91 Neophyti post Baptismum confirmabantur ab Episcopo.
- 92 Episcopus loci potest ministrare Confirmationem.
- 93 Missa audienda a Neophytis post Baptismum.
- 94 Eucharistia suscipiendae a Neophytis post Baptismum.
- 95 Neophyti nomina diligenter scribenda in libro Parochiali.

- 96 An uno actu multi possint baptizari?
- 97 In gravi periculo possunt baptizari multi.
- 98 Caeremoniae in hoc casu omitti possunt.
- 99 Essentia sola Baptismi servanda in magno periculo.
- 100 Enumerantur varia pericula.

Quoniam usque modo quaecumque de Baptismo Adultorum dicta sunt, ad theoreticam unice respexerunt, ut Minister hoc pacto edoctus fieret circa ea, de quibus quandoque rationem redditurus est: modo praestat ut ad praxim totius enunciatae Doctrinae deveniatur, atque adeo Rituale ad ordinem tenendum in Baptismo Adultorum descendit.

§. I. In primis Sacerdos, paratis his, quae supra de observandis in administratione Sacramenti Baptismi Parvulorum dicuntur, indutus superpelliceo, et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum suis Clericis, accedit ad gradus Altaris, et genibus flexis, pias mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare, et ad implorandum divinum auxilium, surgens se signat, et si temporis ratio ferat, dicit: Deus in adjutorium, etc. Postea incipiat, prosequentibus Clericis, Antiphonam: *Efundam etc.*

1 Rituale tribuit facultatem baptizandi solis Sacerdotibus, quia ut alibi diximus, ministerium hoc proprie Sacerdotis est, licet in casu necessitatis cunctis hominibus sit commune, D. Thom. 3. p. q. 67. art. 2. et hoc innititur verbis Concilii Florentini sub Eugenio IV. in quo pronunciatum fuit: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

2 3 Aqua, Vasa, Olea, et pene quaecumque alia, quae inserviunt Baptismo Parvulorum, valent etiam in Baptismo Adultorum: quare debent esse parata eo modo, quo supra. Unice additur Pluviale, et hoc fit ad majorem solemnitatem indicandam, dum Sacerdos induit Vestem, quae non nisi in solemnioribus festis adhiberi solet.

4 Pluviale dicitur haec Vestis, quia a pluvia defendit, et ideo ex posteriori parti Capuccium habet pendulum. In longis processionibus adhibebatur antiquitus ex institutione Apostolorum, ut ita promptum haberent modum se defendendi ab imbribus, Casal. *Vet. Rit. cap. 9.* Haec Vestis non benedicitur  
Com. P. 19.